



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

sed in Domino confidentes liberat de manu angustiae, & felices reddit; quoniam magna potentia Dei solius, & in humilibus illum invocantibus honoratur. Felix est amicus Dei, inimicus miser.

NUMERUS XVII.

*Magnum Dei donum, Rex Bonus,
Justus, Pius.*

§. I.

Unquam magis irascitur Deus in populum suum, quàm cum illum tradit in potestatem Principum infidelium & iniquorum: nec unquam majora, suis fidelibus præbet singularis benevolentiae argumenta, quàm dando illis Principes bonos, justos, Pios, viros secundum cor suum. Mali sunt instrumenta furoris in destructionem sunt gladii, ex utraque parte acuti, & flagella ultionis in destructionem. Boni sunt prætiosa vasa electionis in ædificationem: & Dona dilectionis in salutem ac san-

ctificationem bonorum, & correctionem improborum. Nihil est ergo toti orbi Christiano optabilius Imperatore bono, justo, Pio, qui omnes subditos suos amet ut filios, malos castigans ut fiant boni: bonos fovens ut sint perfecti, omnium rebus sollicitus, ut sint cum ipso Beati: Exemplo Regis Regum, Salvatoris omnium hominum Christi JESU, cujus Principatus, super humerum ejus.

Tres sunt sublimiores, in terris Divinae Trinitatis participationes, ad bonum regimē universi, præcipuè ad universalem Ecclesie militantis utilitatem. Prima est summa dignitas Sacerdotalis, quâ Sacerdos sanctus, Sanctissimæ Triadi totus consecratus, Sancta Dei Mytheria sanctè populis dispensat, ad sanctificationem populi fidelis, & ad illuminationem ac conversionem gentium. Altera est Donum Prophetiæ hominibus, singulariter electis, à Deo communicatum, ut futura annuncient, & Dei omnia cognoscentis, existentiam, sapientiam, & providentiam, manifestent hominibus, qui solùm de præsentibus, & quidem externis, dum-

taxat judicant: sic Deus locutus est per ora Prophetarum antiquæ legis, qui multis sæculis ante Verbi Incarnationem & Nativitatem, ac Passionem, & Resurrectionem, novumque ejus regnum ex conversione gentium, tam clarè prædixerunt; & plurimas eorum mysteriorum circumstantias descriperunt, ac si fuissent oculati testes. Tertia dignitas præcellens, quæ omnium oculis fulget, est Regalis Potestas: Dei invisibilis Omnipotentia imago quædam visibilis, Reges enim sunt, nobiliora Divinae Majestatis, & potentia in temporali mundi regimine simulachra, & organa visibilia, quibus ipsemet Cœli & terræ conditor, homines in officio continere voluit; ideoque Regibus gladium justitiæ præbuit, quo malos cogant, & virgam seu sceptrum directionis, quo bonos protegant, illos pacificè gubernent, ac in bonis suis, contra iniquos tueantur.

Hanc Regiam Potestatem etiam in Paganis Principibus venerandam, eique, ubi Legi Dei non adversatur, obediendum. Fideles omnes monet Princeps Apostolorum, in sua primâ

Canonicâ *Cap. 2.* Subjecti, inquit, esto-
 „ te omni humanæ creaturæ propter
 „ Deum; sivè Regi quasi præcellenti,
 „ sivè Ducibus tanquam ab eo missis, ad
 „ vindictam malefactorum, laudem ve-
 „ rò bonorum, quia sic est voluntas Dei.
 „ Et iterum: Deum timete; Regem ho-
 „ norificate. Si Deus ipse honoratur in
 Regibus etiam infidelibus, quanto
 magis in Christianis Principibus hono-
 randus, quibus dedit & gladium ul-
 tionis suæ in vindictam malorum, &
 sceptrum justitiæ, directionis & æqui-
 tatis in laudem, & salutem proborum!
 In his duobus boni, justi, & Pii Re-
 ges Christiani, Deo, uni, trino, Chri-
 sto JESU, & Ecclesiæ militanti ser-
 viunt ut Reges bonos decet: quando
 illa in bonum subditorum, ac Eccle-
 siæ auxilium, ad propagationem No-
 minis JESU, & ad Dei gloriam, illa fa-
 ciunt, quod non possunt facere nisi
 Reges potentes & probi.

§. II.

HÆc omnia quæ de Regiâ pote-
 state dicta sunt: satis manifestè
 probant quàm magnum sit Dei donum,
Rex